

Decretum de Concilio finiendo.

Prosper Maria etc. — Quum Deo adiuvante ea omnia absol-
verimus quae in hoc Provinciali Concilio pertractare nobis mens
fuit; de assensu Rm̄orum Fratrum decernimus et statuimus huic
Concilio iam finem fieri et de facto finem iam factum esse. —
Datum Mexici etc.

Post lectionem decreti de Concilio finiendo, Metropolita se-
quentem orationem habuit:

Venerabiles Antistites, Filii Dilectissimi.

Si quod unquam, venerabiles Antistites, vestris la-
boribus vigiliisque in vinea Domini exantlatis, solamen
fessi studuistis, procul dubio praesens haec dies, omnium
laetissima adeo omnium vestrum corda alacritate per-
fundet, ut, aerumnas moeroresque pastoralis officii
vestri penitus oblivioni mandandas esse censeatis. Quid
enim hoc dulcius magisque iucundum? Longa enim
porrecta dierum serie in hac urbe principe, ceteris
omnibus curis posthabitis toti in hoc unum incubuistis,
ut vestra opera et labore disciplinae ecclesiasticae leges
restabilirentur, mores omnium corrigerentur, atque Ec-
clesiasticae huius Provinciae bono provideretur. Ho-
dierna autem dies, quam nulla aetas fastis nostris est
obliteratura, finem hisce omnibus imposuit; sicque vos
omnes, venerabiles fratres, propositam metam, multo
sudore et algore attigistis. Ex hoc autem quam ma-
ximas Deo miseranti grates perfundere licet; quum
nobis sperare detur fore ut tot malis hisce nostris tem-
poribus irruentibus oppugnaculum posuerimus ipsaque
Religionis vincula arctiori nexu devinxerimus.

Sed enim in conspectu omnium vestrum adest ma-
lorum omnium interminabilis turba, quae humano ge-
neri ruinam excidiumque portendit. Supremarum veri-
tatum, quibus tamquam fundamentis humanae societatis
status continetur, subversio ubique gentium protrahitur.
Ingeniorum protervia a teneris annis, paternae ac cuius-
cumque alterius potestatis impatiens ubique grassatur.
Dissidorum studium, unde intestinae concertationes,
saeva et cruenta bella, contemptus legum, quae mores
instruunt iustitiamque tutantur, omnium animos acuit.
Ad haec accedit fluxarum rerum inexplebilis cupidi-
tas, aeternarumque ea oblivio, quae Deum ipsum ac
Christum eius, Religionemque ipsam in contemptum
ponit. Quid mirum igitur si passim bonorum publico-
rum administratio pessumdetur, effundatur atque inter-
vertatur? Lugenda etiam ex hoc eorum impudentia, qui
cum maxime fallunt, id agunt, ut patriae, ut libertatis
et cuiuslibet iuris propugnatores esse videantur. De-
nique in conspectu vestrum est illa quae per artus
serpit intimos humanae societatis lethifera quaedam
pestis, quae eam perpetuo irrequietam commovet, ipsi-
que novas rerum conversiones et calamitosos exitus
portendit. In specie autem quis partem illam gentis
nostrae haud numero spernendam, quae ex indis coa-
lescit, non deploret, cum eorum mites sensus ac comi-
tatem persentiat, aliunde vero rerum omnium igno-
rantia, culturaeque neglectu ad omnia vitia, ad interitum
trahi non videat?

Sed alacres modo omnes stote: quandoquidem ex
huius Concilii celebratione meliora in populo, in clero,
in tota hac nostra Provincia auspicandi locus est. Scitis
enim a primordiis Ecclesiae hunc fuisse morem indu-
ctum, ut Concilia celebrarentur ad mores in populo et

clero corrigendos, plurimumque horum Conciliorum auctoritatem omni unquam tempore valuisse. Nos pariter huc de communi consensu, ac Dei Omnipotentis auxilio suffulti, de communibus religionis negotiis una deliberaturi convenimus. Pia igitur Mater Virgo Guadalupensis, totius Gentis nostrae Advocata et Regina, sub cuius auspiciis hoc opus grande incepimus ac perfecimus, benigna de coelo adsit, suam opem nobis omnibus ferat, ac caelestia omnia munera nobis exoret.

Vos autem, Sacrorum Antistites, cooperatores ministerii nostri, Deus ac Dominus Iesus ubique comitetur; eius autem Spiritus vestras illuminet mentes, ac corda dirigat.

Post orationem Metropolitanae Exc̄m̄us et R̄m̄us D. Apostolicus Visitator hanc orationem habuit ad Patres:

Fratres carissimi.

Quod a Deo Optimo Maximo et ab Immaculata Virgine Guadalupensi, principali praesidio ac Patrona Vestra, instantissime sum precatus, statim ut ad hanc remotissimam pervenerim regionem; quod Summo Romano Pontifici ac bonis omnibus erat in votis, iam confectum est, atque ad felices exitus, Deo lumen sapientiae suae ac veritatis mentibus vestris praeferente, eiusque opitulante gratia, quam optime deductum.

Maxime in Domino laetor; et tibi, amantissime Praesul, qui opus hoc magnum libenter quidem es aggressus, et vobis amplissimi Patres, et vobis, solliciti et optimi cooperatores, vehementer gratulor ex animo. Quod enim a vobis omnibus laeto animo summoque studio in Sacris Comitibus actum est, in bonum vertit

Religionis, in Cleri utilitatem; in fidelium aedificationem, in patriae vestrae decus, ornamentum et gloriam.

Cum in hac temporum acerbitate, in qua nec ipsa tolleratur lex cordibus nostris insculpta, Religio insanis fluctibus iactetur, improborumque conviciis impellatur, iuvat saepe, imo oportet vi unita, quae fortior est, publice et solemniter ostendere, Ecclesiae incolumitatem non mortalium viribus niti, non potentiorum praesidio. Deus enim immotam ac firmissimam Petri Cathedram fortunare pergit, et rei christianae hic in terris quoque tempore laboranti volens ac propitius adest. Verba quippe Salvatoris Nostri, nullo hominum odio impedita, ad extremos terrarum fines perrumpunt, in aeternum duratura.

Ad hoc potissimum spectat Conventus vester, Fratres carissimi, ad hoc et aliorum Sacrorum Antistitum spectabit Conventus, ut ex collectiva, ut ita dicam, Pastorum actione et exemplo, Mexicanae gentis in Deum ac Religionem pietas coalescat, altisque radicibus defigatur, ne impiorum voce, vel scriptis, neque minis, vel irrisione possit imminui. Omnis enim Pastorum vita, « quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, » sic se habere debet: quo maiores sint adversariorum christiano nomini conatus, et clariores Religionis vindices, tanquam fortes militiae duces, pro unitis viribus adstent.

Hinc sancti ac praestantissimi viri iam ab antiquioribus Ecclesiae saeculis Provinciales Synodos, veluti praecipuum ex pastoralibus Metropolitanis officiis, maximopere commendarunt, summaque laude extulerunt. « In Synodo Provinciali, prout Coloniensis Concilii Patres optime scripserunt, reintegratur unitas, et studetur corpus in sua integritate conservando; sunt

« enim Concilia provincialia salus Ecclesiae, terror hostium eius, et ita catholicae fidei stabilimentum, ut, « iis neglectis, non aliter ecclesiasticus diffluat ordo, « quam si corpus humanum nervis solvatur. »

Nunc equidem si Clerus omnia, quae hac in Synodo constituta sunt et a Sancta Sede, ut mihi spes est, erunt confirmata, sarta tectaue habeat, quisque Sacerdos erit alter Christus, qui antea coepit facere, et postea docere; et ita christianum populum ad Christi et Ecclesiae mandata fideliter servanda mirifice allicit. Verba enim movent, exempla trahunt. Hinc ordo, hinc concordia et unitas, hinc pax et publica tranquillitas, et quotinde uberrimi ab omnibus percipiuntur fructus, unusquisque vestrum probe noscit. Omnes enim munere suo fungentes, aliena reverentur iura, auctoritati obedient, et ita recte ipsa familia constituitur, quae primum est societatis elementum et totius Reipublicae seminarium; et Clerus et populus Religionem sanctissime servantes, eamque pro viribus tuentes, validum apponunt aggerem iniquitatis torrenti, qui in politicam simul et domesticam societatem irrumpit.

Huius autem ordinis, huius, quae fideles inter et Clerum debeat esse, concordiae et unitatis, quaeque et in patriae vestrae decus vertit, ornamentum et gloriam, vos primo, amplissimi Patres, in Conventu ipso maximum dedistis specimen, omnimodam Apostolicae Sedi, ac Supremo Sapientissimo Catholici Orbis Moderatori, Summo Patri ac Principi subiectionem iterum iterumque exprimendo, in omnibus nullis circumscriptam limitibus obedientiam promittendo, et opportune quidem aperte declarando, nihil prorsus vos unquam ab intimiori posse ligamine seiungere, quo nos omnes cum prima omnium Sede et Pontifice Maximo devin-

ciri gloriamur. In hac unitate firmiter manentes, per ipsam in anxietatibus consilium, in oppugnationibus fortitudinem, in omnibus contra hostes triumphis invenietis gloriam.

Me sinite tandem, quaeso, Fratres carissimi, me sinite, ingenti laetitia suavique animi iucunditate hodie perfusum, bonum patefacere omen: Faxit principalis Mexicanae gentis Patrona, faxit Deus, ut patria vestra, et vestra praesertim Ecclesia, legibus et regulis, aliisque, ex Sacris Canonibus permissis, sapienti ac maturo consilio constitutis, novis temporum necessitatibus aptioribus recreata, super ceteras Americae Ecclesias caput extollat, et nova quasi luce in omnium oculis nitescat.

Postea Ill^mus D. Episcopus Tabasquensis pulpitum ascendit, acclamationes Patrum intonavit, omnibus in cantu solemni respondentibus:

Ÿ. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in saecula.

R). Coelestium munerum datori canamus; quia qui coepit hoc opus bonum Concilii, ipse perfecit.

Ÿ. Dulcissime Cor Iesu amore nostri flagrans, tuo amore corda nostra accendas, crucemque fac nos tuam libenter feramus.

R). Oh! In corde hoc Regis, Patris et Amici, hostes profligantur, pietas florescit, charitas viget.

Ÿ. Praeexcelsae Dei Genitricis in coelum gloriosam Assumptionem corde acclamemus.

R). Ipsa enim Regina potentissima, Mater nostra amantissima, spes nostra certissima.

Ÿ. Almae coelesti Virgini Mariae Guadalupensi, Patronae nostrae vigili, tutamen ac propugnaculum fidei nostrae.

R). Domina nostra, Virgo Guadalupensis: Per te nobis, Alma Parens, fides bonaque cuncta coelitus donata.

Ÿ. Per te, cuius Imago nobis divinitus relicta, Gens nostra vigeat felix, immotamque servet usque fidem.

R). Virgo potentissima, respice et visita vineam istam quam plantavit dextera tua, et perface eam.

Ÿ. Virginum Custos, Deiparae Castissime Sponse, quem patres Gentis nostrae alterum Patronum nuncuparunt.

R). Dulcissime Patrone, peramantissimae Gentis nostrae Custos, exsurge in adiutorium nostrum ut de plena victoria gratuleris.

Ÿ. Philippe Sancte, Mexicanae ditionis Martyrum primitiae Deo et Agno Immaculato Christo.

R). Per te Mexicanae Gentes Christo Principi fideles perpetuo maneant.

Ÿ. Sanctissimo in Christo Patri et Domino Nostro Leoni Papae decimotertio, Christianae Reipublicae Moderatori, Christique Vicario.

R). Vivas usque felix: Dominus conservet te repleatque Spiritus Sancti donis.

Ÿ. Archiepiscopo et Metropolitae Nostro, qui in humilitate et mansuetudine praeest, quem Deus gratia replevit ut magna videret atque perficeret:

R). Dies pleni in senectute bona: impleas Domine omnes petitiones eius.

Ÿ. Sedis Apostolicae Visitatori, Leonis XIII Parentis Optimi digno apud nos Vices gerenti.

R). Deus faxit ut recte sapienterque in omnibus incedat, ut Supremo Pastori gaudium afferat.

Ÿ. Episcopis huius Provinciae, eorumque adiutoribus, qui gregem sibi commissum tuendo Apostolica vestigia sectantur.

R). Pastor aeternae, Princeps Pastorum; tui Vicarios perpetuo custodias.

Ÿ. Huius Concilii Officialibus, Consultoribus atque Sacerdotibus omnibus, Ecclesiae Dei Ministris atque in vinea Domini operariis.

R). Sacerdotes tuos, Domine, in partem laboris vocatos imple Spiritu Sapientiae et Intellectus et dirige pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.

Ÿ. Reipublicae Mexicanae eiusque Supremo Moderatori pax, felicitas et prosperitas.

R). Salvam Domine fac Rempublicam, Praesidem et omnes ordines dirige per viam salutis aeternae.

Ÿ. Fideles omnes pastoralis Officii nostri curae commissi iuste et pie vivant in hoc saeculo.

R). Tribue eis Domine in fide constantiam et in tentatione virtutem.

Ÿ. Petri fidem teneamus Romanae Cathedrae consociemur.

R). Romanam Ecclesiam Magistram profiteamur. Haec est fides Patrum, haec est fides nostra. Hoc est verbum fidei quod praedicamus.

Ÿ. Ducat nos Deus incolumes et in pace perducatur ad propria.

R). Dirige pedes nostros in viam pacis, Domine Deus noster.

Ÿ. Amen, Amen.

R). Fiat, fiat.

Post acclamationes, PP. sibi invicem amplexum et osculum pacis dederunt; ceteri vero omnes Synodales accedentes ad Thronum manum Metropolitae deosculati sunt.

Post quam decantatum fuit *Te Deum* Secretarius ex pulpito omnes docuit benedictionem, quam iam iam Metropolita erat impertiturus, esse *Benedictionem Papalem*, cuius impertiendae

facultas R^mo Metropolitanae ab ipso Romano Pontifice facta fuerat. Metropolita igitur benedictionem impertivit, ac a Diacono dicto *Recedamus in pace* et omnibus respondentibus *In nomine Christi, Amen*, omnes processionaliter discesserunt.

Ita finis impositus Concilio Provinciali Mexicano Quinto.

Excerpta haec sunt ex Actis Concilii Provincialis Mexicani Quinti, quae ad maiorem Dei gloriam pro meo officio conscripta fuerunt a me primo eiusdem Concilii Notario, testibus vocatis et rogatis Dominis Doctoribus ANTONIO A I. PAREDES et IOANNE HERRERA, horum primo Concilii Promotore, altero vero eiusdem Concilii Subsecretario, qui mecum subscripserunt Mexici, die nona Novembris an. Dom. millesimo octingentesimo nonagesimo sexto.

L. S.

Primus Concilii Notarius,

FRANCISCUS DE P. OROZCO JIMENEZ.

ANTONIUS A I. PAREDES.

IOANNES HERRERA.



DECRETA .

PARS I.

DE ADMINISTRATIONE MAGISTERII ECCLESIASTICI

TITULUS I.

DE FIDE FIDEIQUE PROFESSIONE.

1. — Cum sine fide impossibile sit placere Deo, et fides sit vitae christianae principium et radix ex qua vivit iustus, per quam una cum gratia sanctificante salvantur homines, Nos, Patres huius Concilii Provincialis Mexicani V totam fidei doctrinam in Sacris Litteris et in divina Traditione contentam, prout ab Ecclesia Catholica, sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio, ut divinitus revelata credenda proponitur, firmiter credimus solemnique professione confitemur et docemus.

2. — Credimus et docemus depositum fidei fidelissime custodiendum a Christo Domino commissum fuisse Apostolis eorumque successoribus; sed praesertim B. Petro eiusque successori in primatu iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam, scilicet Romano Pontifici vero Christi Iesu in terris Vicario, totius Ecclesiae visibili Capiti et omnium christianorum Patri et Doctore, cui omnes et Pastores et fideles devincimur: